



RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

Rex & Propheta David, à Deo doceri, peccata condonari, & à malo liberari desiderans, ita in Psal. 25. DEUM alloquitur: *Respice in me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego;* quam propositioni annexam rationem Lutherus ita vertit, *Wenn ich bin einsam vñ elend:* quasi dicat David, Libera à laqueis & periculis pedes meos, in quibus versor, Domine, mihiq; sis misericors; ab omnibus enim desertus, similis factus sum Pelicano, in aviis & desertis locis habitanti, & nyctioraci consortia reliquarum avium fugienti; uti solitudinem suam plenius describit Propheta regius, in Psal. 102, 8. Licet verò aliàs, ab Aristotele præsertim, homo, ut *ἄνθρωπος*, animal aptum ad societates & catus describatur, *lib. 1. Eth. c. 7.* quippe cui insitus est à naturâ societatis & communionis appetitus, ut *Philosophus lib. 1. de Republ. c. 2. ait:* attamen, cum propter peccati fæditatem Adam & posteri ejus à divino sese consortio, Diaboli suafu & instinctu segregarint, postq; umbram arboris absconderint, & dehinc ab angelo, in mundi desertum expulsi fuerint, utiq; non secus, ac nyctioraces, qui in sepulchris ac ruinosis nidificant, in mundi aviis habitare coguntur locis, noctu quasi clamando circumvagantes, in labyrintho veluti oberrantes, ex quo sine DEI subsidio, ejusq; verbi ministerio, filo illo Ariadneo, rectum minime invenire possunt exitum. Meministis historiæ feriem, quam describit Lucas *cap. 10.* de homine Hierosolymitano, in deserto Jerechuntino, à latronum impetu despoliato. Quis ille nisi Adam? qui à gratiâ in peccatum descendit, & in mundi hujus deserto, omnibus divinis donis ac beneficiis exutus, miserè à latronibus diabolicis sauciatus fuit. O infelix *desertum*, cui à primò nativitatæ exordio includimur! *desertum*, in quo totum vitæ cursum non secus ac Eremicolæ transigimus, *desertum*, in quò nil nisi pugnæ videntur, ubi petrae sunt cubicula, saxa pavementum, terra stratum, montes cervical, umbræ aulae, feræ socii, spinae flores & aromata, radices herbarum be laria, suspiria musica; *desertum*, in quo nihil, præter ventos tentationum, tempestates persecutionum, & procellas iniquitatum auditur; in quo nil aliud, quàm Tauros & Caucafus est conspiciere, ubi rupes surgunt pertinaciæ, cedri ambitionis, omniumq; peccatorum gignuntur monstra: Et nisi in eodem manna cœlestium plueret consolationum, columnæq; nubis ac ignis die & nocte per vastam illam cum filiis Israel nos educerent solitudinem, propriis nunquam egredi viribus, terramq; promissionis attingere possimus. Sed solius DEI misericordiâ, gratiâ & auxilio nitimur, iterum atq; iterum, *velut illi Pythum versus*, ut habet proverbium, de rectò viæ cursu sollicita sit, usq; dum & verbi filo in viam reducta, & cœlesti manna resecta, & columnarum divinarum nubis ac ignis die ac nocte præventium ministerio educta, beatam promissionis terram attingere possit. Quam tandem verbi ductu etiam consecutus est felicissimè, Vir Consultissimus & Excellentissimus, Dn. MICHAEL THOMAS, in Troschenreudt & Wiederberg, J. U. D. & Practicus hic loci nominatissimus, cujus in exequiis, justam nostri doloris testificationem maestissima viduæ, totiq; honoratissima familiæ ut exponamus, vitæ peractæ feriem paucis recensimus; quem in Mildenfurth / propè Vveidam Variscorum, natum esse, Anno M D LXXXVII. accepimus, die III. Mens. Februarii, à pietissimis & honestissimis parentibus, patre Viro Præstantissimo Dn. MICHAELE THOMAS, natione Franco, qui ab adolescentiâ ad rem assuefactus familiarem, in eadem procurandâ, ad ultimam vitæ halitum perseveravit, licet Senatorio sapiensculè in Urbe Vveidâ ascriberetur ordini, quam tamen honestè declinans dignitatem, matrem habuit verè pietatis studiosissimam, SARAM, Dni. PETRI Wessens, Electoralis Præfecti Vveidensis filiam. Qui parentes modò nominati, filium hunc, postquam die lustratorio salutari baptismatis Sacramento DEO autoratus esset, in ipsis pueritiæ annis, domi in Christiana fidei fundamentis, artium item & linguarum principis probe institui curarunt, posteaq; Cygnæam duxerunt, ubi sub manu ductione ejusdem Scholæ Præceptorum, quinquennio integro illa pietatis ac linguarum studia singulari diligentia successuq; stabilivit felicissimo. Cumq; parentes optimos filii indoles ad singularem frugis opem erigeret, in hanc eum anno M DC IV. ablegarunt Academiam, ubi nactus Præceptores diligentissimos, Dn. SAMUELEM KLINGIUM, jam J. U. D. ac Practicum, ut & Dn. JOACHIMUM CLUTENIUM, hoc temporis J. U. D. & in Argentoratensi Academiâ Professore publicum, eorum institutione & in humanioribus & studio Juris, ad quod animum adplicare instituerat, profectus fecit haud obsecuros. Triennio autem hic exactò, & Dn. D. Clutenio Argentoratium adscitò, parentum consensu eò etiam *in Argentoratium* anno M DC VII. se contulit, ejusque præceptoris sui lateri ibidem quoq; industriè adhæsit, eam Juris apud eundem sibi comparans notitiam, ut biennio post Lipsiam à patre revocatus, commodumq; hospitium, apud Jctum celeberrimum, Virum Amplissimum, Dn. D. JACOBUM SCHULTES Practicum hic quondam famigeratissimum, Elect. ac Duc. Saxonie Consiliarium &c. nactus, eidem non solum melius innotuerit, sed & in agendis causis forensibus, fidei suæ ab eodem concreditis, nec non in legatione, quam Serenissimi Electoris Saxonie jussu, anno M DC XVII. in Borussia prædictus Dn. D. SCHULTES feliciter obiit, quem piè denatus tunc comitabatur, singularem ostenderit industriam. Ab itinere verò eodem reversus, publicum eruditionis testimonium minime aspernandum esse existimavit; idcirco Basiliensem adiit Academiam, & iis, quæ in petitore honorum Juridicorum requiri solent, sedulo ac fideliter perfunctis, supremo Juris titulo, qui est Doctoratus, cum aliis sex competitoribus XVIII. Novembris, anni prædicti M DC XVII. summâ omnium voluntate & applausu publico, ornatus fuit. Quo factus, & Lipsiam ad profectiois carceres reversus, ut eò magis inclaresceret, praxin antehac inchoatam non solum repetiit, sed & anno sequenti M DC XVIII. die XV. Junii, filie Dn. D. SCHULTESII supra nominati unicæ, tum temporis Virginis, variis animi, corporisq; dotibus instructæ, jam viduæ, ob maturum Dn. mariti obitum perturbatissimæ, nupsit, & ex illius conjugii, ad quatuordecim annorum cursum protracti, fecunditate, septem liberos, V. melioris, II. sequioris vidit sexus, quos DEUS fidelissimus orphanorum tutor, cum matre, quò piè ac modeste educari queant, sospitet clementissimè. Sed pergimus ad reliquam vitæ periodum, in quâ variæ quidem *virtutes* notandæ essent virtutes, amorem DEI & proximi spectantes: Verum cum ipsius pietas religiosa, ex devotâ verbi auscultatione, & frequentiori sacramentorum usu satis eluxerit, ejusque pectus candore tinctum, nil nisi modestam & proximam, & familiæ honoratissimam, & socris amatissimam usui gratam & accommodam officiorum promptitudinem spiravit, liberosq; ad pietatis & virtutum amorem inflammavit, ulteriora enumerare superseimus. Morbo fomes sine dubio ex terrore in nupero obsidionis tempore undiq; oborto natus est; licet enim quartanâ correptus fuerit febris, antequam Lipsia hæc crudeles senserit furias; attamen paulo post eandem lètheria nigra excepit, quæ exquisitis remediis aliquomodo dispersa saltem, non penitus tamen auferrî, vel extingui potuit. Decimâ tertiâ igitur Trinitatis Dominicâ in catu frequentissimo ad sacram accessit Synaxin, posteaq; semper mentem ab humanis præfidiis ad divina revocans, seipsum ac suos precibus calidissimis divino resignavit nutui, subinde ingeminans: Domine JESU, tibi vivo, tibi morior; & sic suffocativo interveniente catarrho, proximo die Lunæ, à meridie circa primam, anno ætatis XLV. inter lacrymas & suorum preces placidissimè expiravit.

Eidem nunc extremum honoris & amoris officium declaraturi, ac specimen erga relictam viduam familiamq; amplissimam *cum suis* edituri, Civibus Academicis, ut hodiè horâ I. exanime corpus, in æde Paulinâ humandum, decenti comitatu prosequantur, mandamus serîo. PP. Lipf. XVIII. Mens. Novembris, ANNO Mæsiæ M DC XXXI.

LIPSIÆ,

Imprimebat JOANNES-ALBERTUS MINTZELIUS. Anno M DC XXXI.

RECTOR ACADEMIÆ



